ecclesiae suae in multos annos superstitem esse sinat.
Vale: Paree praestantissime, et me ama. De meo
inte amore et benevolentia nunquam dubita-
bis, et siquid est, quod ex me esse possit, monebis
et jubebis. Marpurgi A. D. VIII Maij Anno Chri-
sti MDXCIII

Tuae reverentiae studiosiss.
Hermannus Vultejus Doctor
Academiae Marpurgensis
Rector mpp.

Clariss. D. Pareo Quirinus Reuterus S. 250

Carissime Dn. Doctor, compater observande:
Cum à me Philippus iste Wagnerus, olim in
paedagogio discipulus tuus, unde cum caeteris
stipendiariis sub electore Ludovico extru-
sus est, tibi se commendari obnixè peteret, no-
lui officium istud negare, conditionem aliquam
in vicinia petit, nisi quod mallet hic manere,
et vel aedituum nostrum agere liceret: de quo
vix ei spem facere possum, et quod is, cui succede-
re vellet, non cupit cedere; et quod in urbe familiam
alere nequit, nisi consensu Senatus, à quo diffi-
culter et vix libertatem impetrabit. Itaque si com-
modè poteritis ipsi prospicere, rogo ei ne desis.
Nuper D. Marcus mihi pollicitus est, ex discipu-
lis vestris unum mihi adjunctum iri in hoc meo
officio. Cuperem igitur intelligere an quem designa-
vitis. Samuel Velthusius D. Herzbachio nuper
innuit, sibi hunc locum non displiciturum: itaque
hic eum mitti vellet. Si vobis id probabitur,
et mihi placebit.
Matth. Harnisch et Georg. Fabelus die proximè do-
minica me rogarunt, ut praefationem in librum
Eusebii de incarnatione scriberem, eumque ad
Hippolytum à Collibus dirigerem. Etsi mallem
ipsos id praestare: tamen exorari me passus
sum. Ubi igitur Josua Harnischius miserit,
eum monebo, ut Dno P. exhibeat revidendam for-

inspiciendam: in qua siquid perperam erit scriptum,
rogo Dn. compater corrigat. Piget, ut ingenuè
fatear, me propemodum talis scriptionis.
Hodiè mater Stecklii vestri defuncta est: cui oratio
funebris concio, eaque prima hoc in loco à me haben-
da est. Wirtembergicos Praelatos et Abbates anne
porrò quoque damnatos esse putatis? Jesuitae vestri spe-
rant sibi nonnihil cessurum de campis Ubiquitari-
is. Vale, et uxorem, ac tuos, amicosque q. saluta. Dat.
Spirae 23. August: 1573.

T. H. studiosiss. compa.
Quirinus Reuterus
minister ibidem.

251) Eidem idem S.

Clariss. V. et cariss. compater: D. Lösenius cupit
sibi chartas ad Richelium Argentinensem
typographum spectantes transmitti. Rogo
igitur, ut eas uxori ipsius tradi cures, ut prima
quaque occasione huc perferantur. Quia subito
heri et properans ad concionem, hodiè habitam,
meditandam, istinc discessi, non potui Dno com-
patri valedicere, nec, quod cupiebam, rogare, anne
puero, quem domi meae alo, possim stipendium
13, vel dimidium, i.e. 6½ fl. impetrare. Est bo-
ni ingenii, et mihi ex sorore, paupere jam vi-
dua, nepos. Non malè collocabitur benefici-
um: Quod ut consequatur, tuam opem im-
ploro. Si libello supplice opus erit, eum mit-
tam propediem. Nescio tamen, an ad Senatum
vestrum, an ad illustrissimum dirigi oporte-
at. De sumtibus in culturam horti, quos po-
stulo, facile judicium oeconomi Herbipol. vel
alterius feram. Sanè duplicatis jam opus esse, quis-
videbit, si in rem praesentem veniat. Causam
igitur hanc tua quoque authoritate juves,